

Electronic Manipulus florum Project

www.manipulusflorum.com

Predicacio be cum editione moderna

Fides ex auditu, auditus autem per uerbum Dei, dicit Apostolus.

Si ergo quilibet sine predicante non audit, sine auditu non credit, sine fide non intelligit, sine intellectu bene non agit. Verbum Dei predicandum est ut audiens credat, credens intelligat, et intelligens bonum opus perseveranter exerceat, quoniam potentes uti libere uoluntatis arbitrio, nec opera sine fide, nec sine operibus fides sola iustificat.

Prosper libro I. de uita contemplatiua.

Sed quia idem Apostolus dicit: *Fides ex auditu; auditus autem per verbum Dei*, debet doctor Ecclesiae praedicare, quod audiat crediturus: quia sine praedicatione nullus erit auditus; eodem Apostolo attestante atque dicente: *Quomodo audient sine praedicante?*

Si ergo quilibet sine praedicante non audit, sine auditu non credit, sine fide non intelligit, sine intellectu bene non agit; verbum fidei praedicandum est, ut audiens credat, credens intelligat, et intelligens bonum opus perseveranter exerceat: quoniam eum qui potest uti liberae voluntatis arbitrio, nec opera sine fide, nec sine operibus fides sola justificat.

Iulianus Pomerius, *De uita contemplatiua*, 1, 19 (PL 59, col.433D-434A).